

rata ad evellendum lastras fuissent, subito turbine dies tenebrosus fuit, nocte vero ipse subsequens diei ventus validus per ipsam Ecclesiam discurrerebat, mugitus ferens secum validos. Sonitus factus est ingens per totam ipsam Ecclesiam. Tunc vero omnes exinde concreperunt marmores, ac si à Malleatoribus fractæ; ac comminutæ fuissent; tamen hoc intueri potestis in pariete. Ibi vero, ut dixi, duæ factæ sunt civitates. Ex Ravenna egrediuntur Martyres parte virorum ad Christum euntes; ex Classe Virgines procedunt ad Sanctam Virginem Virginitatem; & Magi antecedentes munera offerentes. Sed tamen cum variis vestimentis, & non omnes unum indumentum, habuissent depicti sunt, idcirco quia ipse divinam Pictor secutus est Scripturam. Nam Gaspar aurum obtulit in vestimento hyacinthino, & in ipso vestimento conjugium significatur. Balthasar thus obtulit in vestimento flavo, & in ipso vestimento virginitatem significat. Melchior mirram obtulit in vestimento vario, & in ipso vestimento poenitentiam significat. Ipse qui prævius erat purpurato sago indutus, & per eundem, significat ipsum Regem natum, & passum. Qui autem in vario sago munus nato obtulit, significat in eodem omnes languidos Christum curare, & variis injuriis, & diversis Judæorum verberibus flagellari. Scriptum de illo est; *ipse infirmitates nostras suscepit, & languores portavit, & putavimus eum tanquam leprosum*, (1) & post; *vulneratus est propter peccata nostra, afflixus est propter scelera nostra*. Qui vero in candida munus obtulit, significat eum post resurrectionem in claritate esse divina, sicut enim illa tria pretiosa munera divina in se mysteria continent, idest per aurum opes regales, per thus Sacerdotis figuram, per mirram mors intelligitur, ut per omnia hæc ostenderent eum esse, qui iniquitates hominum suscepit, idest Christum; sic & in sagis eorum, ut diximus, tria hæc donata continentur. Quare non quatuor, aut non sex, aut non duo, nisi tantum tres ab Oriente venerunt? Ut significarent totius Trinitatis perfectam plenitudinem, ex quorum amore iste Beatissimus Agnellus partem *Endobis byssina*, (2) unde superius fecimus mentionem, quam Maximianus Prædecessor ipsius non explevit. Iste Magorum hutoriam perfecte ornavit, & sua effigies mechanico opere oculis inserta est.

## CAPUT TERTIUM.

Fons ad B. Martini reconstitutus, & ornatus.  
Crux argentea. Rus Argentea acquisitum.  
Ecclesia Sancti Georgii fundata. Secularia quadam. Agnelli obitus. Epitaphium.

Fonsque in Beati Martini Ecclesia ipse reconciliavit, & tessellis decoravit; sed Tribunal ipsius Ecclesie nimio terræmotu exagitatum, Johannis Archiepiscopi temporibus quinti junioris contractum, ruit. Post ædificia cameram coloribus ornavit. Fecit Beatissimus Agnellus Crucem magnam de argento in Urbana Ecclesia super sedem post tergum Pontificis, in qua sua effigies manibus expansis orat.

(1) Ec. Mur.

(2) Endobis in byssinam. Mur.

(3) malo. Mur.

(4) Sepulcrum Agnelli Archiepiscopi Ravennæ, obiit circa annum Domini DLXVI. Bacch.

Adquisivitque rura in Ecclesia Ravennæ argentea, quæ dicitur, & infra ipsius ruris Monasterium Beati Georgii à fundamentis ædificavit. Sed in senectute positus, & sua effigies mirè tabulâ depicta est, & ante introitum ipsius Monasterii versus metrici, quos non potui clarè videre. In diebus istius expulsi sunt Franci de Italia per Narsètem Patricium. Et post hæc apparuit stella Comis mense Augusto usque in Kal. Octobris. Et mortuus est Justinianus Augustus Constantinopoli quadragesimo anno Imperii sui: & luctus ingens ubique fuit, & mœror nimis de tali orthodoxo viro. Et apparuerunt signa rubra in Cælo, & civitas Fano igne concremata est, & multitudo hominum flammâ consumpta est; Castrumque Cæsenate incendio devoratum est. Tertio vero anno Justinini minoris Imperatoris Narsis Patricius de Ravenna evocatus, egressus est cum divitiis omnibus Italiæ, & fuit Rector XVI. annis, & vicit duos Reges Gothorum, & Duces Francorum jugulavit gladio. Sub istius Præfulis temporibus abundantia fuit magna, & ordinatio in populo Italiæ. Monasteria vero in civitate Classis, quæ lateribus, fontique Ecclesie Petriæ juncta sunt S. Matthæi Apostoli, & Jacobi, ipse tessellis ornari jussit. Et inventi sunt in Camera Tribunæ Apostoli Matthæi continente ita; *salvo Domino Papa Agnello. De donis Dei, & servorum ejus, quæ obtulerunt ad honorem, & ornatum SS. Apostolorum, & reliqua pars de summa cervorum qui perierunt, & Deo auctore inventi sunt. Hæc absida musivo exornata est. Tempus est claudendi os, & opilari feris. Cruce claves signemus, ne fur veniat apertam inveniat januam, in imo cordis zizaniam non seminet, derideat, & perdat. Ideo pone Domine custodiam ori meo, & ostia circumstantiæ labiis meis; non declines cor meum in verbo malitiæ, (3) sed adjuva me, ut possim ipsius Agnelli vitam finire, (4) qui obiit die primo Kal. Augusti, & sepultus est in Ecclesia S. Agathæ Martyris ante Altarium, & literis marmore exaratis epitaphium super Corpus ejus sic invenies.*

Pontificis requiem cælesti munere ..... (5)  
Agnellus virtute Dei non perdidit illam,  
Qui optatam meruit lucis cognoscere pacem,  
Corporis ipse sui Templum servatum ut esset.  
Iustus cum Sanctis Christo mediante (6) resurget,  
Sic quoque pro meritis gaudet qui talia gessit.

Hic requiescit in pace Agnellus Archiepiscopus, (7) qui sedit annos XIII. mens. I. dies VIII.; qui vixit annos LXXXIII. (8), depositus est sub die Kal. Aug. Ind. III. (9), sedit ann. XIII. mens. I. dieb. VIII.

(5) gessa. Mur.

(6) medicans. Mur.

(7) lege Episcopus. Bacch.

(8) Rub. LXXXIV. Bacch.

(9) lege Ind. XIV. Bacch.